Annus XIX - Vol. XIX 1 Iulii 1927 Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Sacrum Consistorium, p. 233 - Litterae Apostolicae, p. 245 - Epistolae, p. 251.

Acta SS. Congregationum: *S. C. de Religiosis:* Approbationes, p. 253 - *S. C. Rituum:* I. Hierosolymitana. Decretum super introductione causae S. D. Mariae a Iesu Crucifixo, O. C. D., p. 254. II. Cadurcen. Decretum super virtutibus Ven. S. D. Alani de Solminihac, Episcopus Cadurcensis, p. 258.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni Generale, Nuova Preparatoria e Antipreparatoria - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, pp. 261-264.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 7 - 1 Iulii 1927)

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I

CONSISTORIUM SECRETUM
(*die 20 Iunii 1927*)

PAG.
I. Camerariatus Sacri Collegii 233
II. Allocutio Sanctissimi. Solemnis enunciatio novorum Cardinalium 233
III. Provisio Ecclesiarum 240

II

CONSISTORIUM PUBLICUM
(*die 23 Iunii 1927*)

III

CONSISTORIUM SECRETUM
(*die 23 Iunii 1927*)

I. Oris clausio 244
II. Provisio Ecclesiarum 244
III. Oris aperitio 245
IV. Postulatio Palliorum 245

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *De more Romanorum Pontificum.* - Erigitur Internuntiatura Apostolica de Lettonia. - *31 Octobris 1925* 245
II. *Exstat prope urbem.* - Sanctuarium D. N. I. C. a Bono fine, in archidioecesi SS. Salvatoris de Bahia, Basilicae minoris titulo augetur. - *31 Augusti 1926* 246
III. *Regiones.* - Erectio Internuntiaturae Apostolica in republica Lithuana. - *31 Ianuarii 1927* 247
IV. *Quae rei sacrae.* - Erectio praefecturae apostolicae de Sarawak, immutato nomine veteris praefecturae de Labuan et Borneo septentrionali. - *5 Febr. 1927* . 248
V. *Exstat Parisiensi.* - Templum Dominae Nostrae a Victoriis, Lutetiae Parisiorum, titulo ac privilegiis Basilicae minoris honestatur. - *12 Martii 1927* 249

EPISTOLAE

PAG.
I. *Praeclara sane.* - Ad R. P. D. Martinum Hubertum Rutten, Episc. Leodiensium Pontificio Solio adstatorem, XXV episcopatus annum explentem. - *5 Maii 1927* 251
II. *Didicimus abs te.* - Ad R. P. D. Carolum Fritz, Archiepiscopum Friburgensem, in centesimum annum a condita archidioecesi. - *6 Maii 1927* 252

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

Approbationes 253

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Hierosolymitana.* - Decretum super introductione causae beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Iesu Crucifixo, sororis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum. - *18 Maii 1927* . 254
II. *Cadurcen.* - Decretum super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Alani De Solminihac, Canonici Regularis Lateranensis, Episcopi Cadurcensis. - *20 Iunii 1927*. 258

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Generale, Nuova Preparatoria* e *Antipreparatoria* 261
II. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 261
III. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 263
IV. Necrologio 264

Annus XIX - Vol. XIX 1 Iulii 1927 Num. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

SACRUM CONSISTORIUM

I

CONSISTORIUM SECRETUM

Die 20 Iunii 1927, in Palatio Apostolico Vaticano habitum est *Consistorium secretum*, cuius acta ex ordine referuntur:

I. – CAMERARIATUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Sbarretti detulit ac reddidit perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Ssmo Domino Nostro Papae, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Boggiani, pro hoc anno eiusdem Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii Camerarii.

II. – ALLOCUTIO SANCTISSIMI SOLEMNIS ENUNCIATIO NOVORUM CARDINALIUM

VENERABILES FRATRES

Amplissimum Conlegium vestrum et episcoporum ordinem antequam suppleamus — qua quidem de causa vos in consistorium hodierno die convocari iussimus, — libet Nobis nonnulla et laeta et tristia praefari, eo magis, quod, socii ut estis adiutoresque laborum Nostrorum, si quid Nobis in apostolico ministerio aut solacii aut maeroris contigerit, utrumque singulari animorum consensu participare consuevistis.

Cumulatum sane gaudium Nobis attulisse eam nostis quae nuper est habita tertii pleni saeculi ab condito Conlegio Urbaniano commemoratio. In qua ceteris quasi praeire Nosmet et praeesse voluimus, sacrum sollemne in Petriano templo agentes, cuius quidem templi amplitudo ac magnificentia cum peculiari illa, quae Romani Pontificis est, rituum maiestate tam mirifice congruit. Decuit profecto, prope venerandos Principum Apostolorum cineres Pontificalem liturgiam haberi, quorum patrocinio et nomini fel. rec. decessor Noster Urbanus VIII Conlegium a se conditum, initio, commendatum voluit.[1] Aequum item fuit, gratias Servatori Deo publice agi, quo certe frugiferi auctore consilii factum est, ut ad christianam fidem humanitatemque proferendam Ecclesiae licuerit tot tamque strenuos hoc trecentorum annorum spatio apostolicos viros ex Urbe in ethnicas regiones dimittere; placuit praeterea Conlegii alumnis, et qui sunt et qui fuere, huc undique coeuntibus gratificari, qui decessorum suorum virtutes amplificandaeque religionis studium in se ita referunt, ut maximos de suo apostolatu fructus aut ediderint antehac aut in posterum sperare iubeant.

Acerrimam autem eiusmodi veritatis evangelicae propagandae voluntatem, carminibus concentibusque redditam ac sub dio veluti personantem, comperimus — nonnulli ex vobis, Venerabiles Fratres, intererant — cum delecti ex Conlegio Urbaniano iuvenes coram Nobis saeculare eventum et benefacta inde orta, alii alio sermone, celebrando extulere. Per recitationes quidem illas, quae plus habuere, quam ignaris videretur, iucunditatis, afficiebamur vehementius tenebamurque non tam cogitatione quam sensu quasi quodam eius, quae in Nobis inest divinitus, universae paternitatis, et obversabantur animo et paene ante oculos nationes illae, unde profecti essent, ad Petri Cathedram instituendi, ii ipsi iuvenes, qui, sua quisque lingua suaque sentiendi eloquendique varietate, Romani Pontificatus caritatem et providentiam dilaudabant et sacri ministerii inter populares suos aliquando exercendi gaudia praecipere videbantur. In tan-

[1] Bulla *Immortalis*, 1 Aug. 1627, § 4.

tarum consideratione rerum fuit plerumque, Venerabiles Fratres, cur admodum delectaremur; verum alicunde talia occurrebant, quae tristitiae nubem animo communis Patris obducerent atque offunderent.

Per interminatos Sinarum tractus, intestino exagitatos laceratosque bello, ubique et trepidatio et vastitas et luctus; in missionales nostros, in religiosas sorores, in utrorumque stationes, in domos orbis pueris puellisque tutandis barbare saevitum; nec vero incendia nec caedes defuere. Quae quidem omnia, opinamur, Sinensis populus, suapte natura generosus, et publicae tranquillitatis amator, non admitteret nec toleraret, nisi civilis discordiae socialisque eversionis semina invecta aliunde essent. Neque enim Sinenses ignorant, se in oculis Nostris ferri; quodsi in eo multum gloriati laetatique sunt, quod ipsis dedimus, atque ad Apostolorum sepulcra Nosmet consecravimus, sex indigenas episcopos, at aestimationis et caritatis, qua vetustissimam nationem illam prosequimur, significationes longe graviores, quotiescumque per occasionem licuerit, daturi equidem sumus. Atque utinam ad eorum res componendas aliquid aliud conferre possemus quam preces, quas Deo et adhibemus et adhibituri sumus. Publico interea ornatos volumus praeconio et missionales et fideles, qui, in tanta rerum perturbatione qua Sinae conflictantur, in officio suo animose et fortiter perstitere.

Ad aliam praeterea gentem, quae pro christiani nominis libertate paene universa cruentatur, cogitatione tum ferebamur hodieque ferimur. Quod iam pridem Mexicanus episcopatus, clerus populusque facit divino Ecclesiae Conditori martyrium, non tam inlustre dixeris quam inter inlustriores annalium nostrorum fastos, ad immortalem rei memoriam, referendum; extorribus autem relegatisve episcopis, quibus nihil esset antiquius quam gregi adesse cuiusque suo, gregem consolari, pro grege mori, iterum iterumque paternam gratulationem caritatemque Nostram, in hoc amplissimo consessu vestro, significamus. Ávulsi quidem sint de honoris sui sedibus; at nemo avellere eos poterit de complexu Nostro, nemo prohibebit quominus eos sequatur atque adeo

comitetur desiderium fletusque populi sui. — Quamquam non eorum populares tantummodo, sed etiam omnes excultae christianaeque gentes admiratione eos et comploratione prosequuntur: quo in genere imprimis digni, qui a Nobis commemorentur, sunt Foederatarum Americae Civitatum episcopi, qui Mexicanae Ecclesiae inlustrare causam et afflictorum conlegarum inopiae succurrere non cessant.

Ceterum, quam recrudescere passim barbariam et in catholicum nomen exacui pugnam videmus, utramque profecto ab omni humano civilique cultu alienissimam, eadem nonne, quemadmodum ab inito Pontificatu usque adhuc monuimus, doctrinarum contagioni illarum debetur, quae palam occulteque ad societatem hominum reique publicae ordinationem evertendam, nullâ fere gubernatorum providentiâ, disseminantur et tamquam mortiferum virus in venas ipsas Civitatis permanant? Plurimum igitur interest — quod impense hortamur — et episcopos et sacerdotes et fideles omnes perpetuis Nobiscum precibus divinam opem implorare populis misere laborantibus; quibus utinam concordiae religiosaeque libertatis dies tandem aliquando illucescat.

Iam nunc ad res Galliae religiosas convertamur, de quibus vos, Venerabiles Fratres, in consistorio proxime superiore allocuti pro officio sumus. Fuit quidem, haud ita multo ante, animus ea de causa ad episcopatum, clerum populumque illius carissimae Nobis nationis aliquanto fusius perscribere, praesertim post datam ab episcopis ipsis ad fideles *Declarationem* et epistulam ad Nos missam, utramque sane temporibus opportunam et Nobis pergratam, ut iisdem cito significari voluimus; verum, attente amanterque prosequentibus Nobis rerum eventuumque cursum, legentibusque accurate quicquid aut typis vulgatum aut scripto traditum continenter ad Nos perfertur, visum est supersedere adhuc consiliique effectum Nostri in aliud tempus differre.

At tamen nolumus magnam vestri huius consessus praeterire opportunitatem quin vos cum praeclari, quo perfundimur, solacii, tum gravis, qua afficimur, aegritudinis in partem hodie

vocemus. Praeclarum quidem solacium Nobis afferunt e Gallia filii seu singulatim seu gregatim, maxime iuvenes, qui aut per se ipsimet aut per Antistites suos non cessant cum se iudicio iussisque Nostris subiicere, tum gratias Nobis agere: quibus placet denuo Nostram approbationem gratamque testari voluntatem. Aegritudine vero illud Nos afficit non mediocri, quod, ut verbis utamur Apostoli, *sunt...* – quamquam non ita *multi – etiam inobedientes, vaniloqui et seductores... docentes quae non oportet* [1] *... quos*, sicut idem Apostolus, *oportet redargui.* [2] Namque de eorum sententia agendique ratione si quidem sileamus, idem vere sit atque pernicioso errori servire – quemadmodum ab ipsis Galliae episcopis declaratum est, – eos item in contumacia confirmare eorundemque vaniloquia, seductiones et falsas doctrinas fovere: neque enim solida animorum pax ac tranquillitas nisi in veritate et in ordine, caritate quidem duce atque effectrice, consistit. Quod autem semel iterumque declaravimus, id ipsum hodierno die confirmamus: quicumque vere resipuerint in animumque sincere induxerint nimis iam diuturnum pessimi exempli resarcire flagitium, quod in Ecclesiam universam, in Gallicam potissimum, admisere, paterna eos cum benignitate et caritate excipere et complecti paratissimi sumus. Atque fore, Dei misericordiâ, quam suppliciter cotidie imploramus, ut brevi omnes se ad se revocent et ad communem Patrem redire velint, vehementer speramus ac confidimus. Etenim supra quam credibile est dolemus atque angimur, quotiescumque subit cogitatio animum, fieri aliquando posse, ut vel ad unum e dilectis iis filiis, qui ab officio desciverunt, illud accommodare cogamur, quod prima Ecclesiae aetate — neque enim Sanctae huic Matri defuit unquam ab filiis lugendi causa — Ioannes, Apostolus ille caritatis, dicere coactus est: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* [3]

[1] *Tit.*, I, 10-11.
[2] Ibid.
[3] Io., II, 19.

Maxime vero eorum casum maeremus, si qui sunt — quod pro certo affirmatur, quamquam Nobis vix credibile ad hunc diem visum est, — qui, caeci cum sint, caecis se praebent duces: quorum in mentem satius erit verba illa Domini redigere quae omnino obliti videntur: *Vae vobis, duces caeci*[1]... *Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?*[2] In foveam scilicet erroris et discordiae, quia resistunt ordinationi *Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis*, ut praeclare docet Augustinus.[3] Quorum quidem caecitas, ducum, scilicet, et pedisequorum, inde iam manifesto apparet, quod contra ipsum christifidelium omnium Patrem et Magistrum reapse se extollunt, quamquam verbis se eius agnoscere ac vereri auctoritatem profitentur. Aiunt enim, Nos, in causa quae agitur, vel rerum ignaros esse vel falsa edoctos vel a Nostris administris, quorum fidelitatem nolumus hic peculiari sine laude praetermittere, per obscuras machinationes et per commenticia scripta deceptos, vel partium studiis, ad imperii cuiusdam restitutionem, servire, vel alicuius nationis amore abripi vel, auctoritatis Nostrae fines praetergressos, aliena patriae caritati iubere: quae quidem omnia, in Nos per quam iniuriosa, non tam declarationibus Nostris, iteratis et expressis, atque ipsi veritati evidentissime repugnant, quam redolere amentiam videntur. Interea indociles istos filios monere cum Apostolo non dubitamus: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die; sed neque meipsum iudico... qui autem iudicat me, Dominus est.*[4]

Placet ingratum argumentum sollemnibus concludere iisdemque gravissimis verbis, quibus Ambrosius Noster itemque Cyprianus Episcopus et Martyr Ecclesiae unitatem inlustrant, non eam solum quae ad fidei pertinet dogmata, sed eam etiam quae in auctoritate et obedientia continetur. Est igitur Ambrosii

[1] Matth., XXIII, 16.
[2] Luc., VI, 39.
[3] *Ep. CV*, c. v, 16 – *P. L.*, XXXIII, 403.
[4] *I. Cor.*, IV, 3.

celeberrima sententia: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors sed vita aeterna.* [1] Verum ad hanc quod attinet, Cyprianus iam affirmarat: *Nec perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem.* [2] Idem paulo ante: *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit?... Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* [3] Quae sane postrema verba ideo omittenda Nobis non erant, quia in laudem Venerabilium Fratrum Episcoporum Galliae praescripta quodammodo videntur: Episcoporum Galliae, inquimus, qui, ut ex sententia loquamur divini Pastoris et Episcopi animarum nostrarum, [4] permanserunt in tribulationibus Nostris. [5] His sane aliisque Patrum documentis se, toto pastoralis vitae cursu, mirifice conformavit Venerabilis Alanus De Solminihac, Episcopus Cadurcensis, de cuius heroicis virtutibus sollemne decretum hesterno die promulgavimus; nec sine peculiari providentis Dei consilio factum arbitramur, ut nobilissima eius causa, quae tamdiu iacuerat, hisce ipsis diebus, tam bono cum exitu, instauraretur, et in luce catholici orbis praeclarum huius e Gallia Episcopi exemplum splendesceret, qui cum in omni virtutum genere enituerit, tum obedientia et pietate in Apostolicam Sedem et in Iesu Christi Vicarium, alienissimo si unquam tempore, magnopere praestitit.

Iam ad id, quod causa Nobis Sacri Conlegii vestri convocandi fuit, gradum faciamus. Itaque lectissimos duos romanae purpurae dignitate decrevimus honestare viros, qui, ob doctrinae laudem atque exanclatos in Ecclesiae bonum labores, cum

[1] *In Ps. XL*, 30 – *P. L.*, XIV, 1134.
[2] *De Unitate Ecclesiae*, VI – *P. L.*, IV, 519.
[3] Ibid. IV, sq. – Ibid. 519.
[4] *I. Petr.*, II, 25.
[5] Luc., XXII, 28.

magnam catholicorum aestimationem tum Nostram sibi benevolentiam conciliarunt. Hi sunt:

Ioseph Ernestus van Roey, Archiepiscopus Mechliniensis;

Augustus Hlond, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

Iosephum Ernestum van Roey,
Augustum Hlond.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠ Sancti. Amen.

Superest ut viduatis Ecclesiis Episcopos praeficiamus.

III. – provisio ecclesiarum

Tum Beatissimus Pater sequentes proposuit Ecclesias:

Cathedrali Ecclesiae Tirasonensi praefecit R. D. Isidorum Gomá y Tomas, Canonicum metropolitanae ecclesiae Tarraconensis.

Cathedrali Ecclesiae Ardachadensi, R. D. Iosephum Mac Namee, Canonicum cathedralis ecclesiae Clogheriensis, et parochum loci *Clones* in eadem dioecesi.

Cathedrali Ecclesiae Kerriensi et Aghadonensi, R. D. Michaelem O' Brien, parochum loci *Killarney* in dioecesi Kerriensi.

Cathedrali Ecclesiae Albae Regalensi, R. D. Aloisium Shvoy, parochum in civitate *Buda-Pest*.

Cathedrali Ecclesiae Carolopolitanae, R. D. Emmet Walsh, parochum ecclesiae Conceptionis Immaculatae in urbe *Atlanta*, in dioecesi Savannensi.

Cathedrali Ecclesiae Valentinae de Venezuela, R. D. Salvatorem Montes de Oca, sacerdotem dioecesis de Barquisimeto.

Cathedrali Ecclesiae Vicensi, R. D. Ioannem Perelló y Pou, iam Superiorem generalem Congregationis Maioricensis Missionariorum Sacrorum Cordium.

Titulari episcopali Ecclesiae Halmyrensi, R. P. Henricum Vieille, ex Ordine Fratrum Minorum, quem deputavit Vicarium Apostolicum de Rabat.

Insuper alios per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit, videlicet:

ARCHIEPISCOPOS

Atheniensem, Ioannem Baptistam Filippucci.

Macrensem, Iosephum Pfluger, iam Episcopum Harpasensen.

Rheginensem, Carmelum Puija, iam Archiepiscopum Sanctae Severinae et Episcopum Cotronensem.

Chalcedonensem, Ioannem Baptistam Della Pietra, Delegatum Apostolicum in Albania.

Tokiensem, Ioannem Alexium Chambon.

Tyanensem, Paschalem Robinson.

Catacensem, Ioannem Fiorentini, per elevationem sedis ad archiepiscopalem.

EPISCOPOS

Iliensem, Michaelem D'Herbigny.

Citrensem, Pium Eugenium Neveu.

Nilopolitanum, Palmyrum Jansoone, Auxiliarem R. P. D. Raphaelis Quilliet Episcopi Insulensis.

Maximianopolitanum, Augustinum Grimauld, Vicarium Apostolicum Senegambiae.

Balanensem, Carolum Heery, Coadiutorem cum iure futurae successionis, R. P. D. Ignatii Shanahan, Vicarii Apostolici Nigeriae Meridionalis.

Erizensem, Iosephum Bach, Vicarium Apostolicum Insularum Gilbertinarum.

Epiphaniensem, Timotheum Ioannem Crowley, Coadiutorem cum iure futurae successionis R. P. D. Iosephi Legrand, Episcopi Dacchensis.

Anthedonensem, Bernardinum Vitalem Bigi, Vicarium Apostolicum de Cyrenaica.

Helenopolitanum in Bithynia, Honoratum Coppieters, Coadiutorem eum iure futurae successionis R. P. D. Aemilii Seghers, cui iam, bo. me. viro, successit in episcopatu Gandavense.

Satensem, Iacobum Eduardum Walsh, Vicarium Apostolicum de Kongmoon.

Brigantiensem in Brasilia, nuper erecta dioecesi, Mauritium Iosephum de Rocha, iam Episcopum Corumbensem.

Monopolitanum, Antonium Melomo, iam Episcopum Squillacensem.

Bararitanum, Ioannem Filzer, Auxiliarem R. P. D. Ignatii Rieder, Archiepiscopi Salisburgensis.

Siccensem, Casimirum Tomczak, Auxiliarem R. P. D. Vincentii Tymieniecki, Episcopi Lodzensis.

Dadimensem, Ferdinandum Pawlikowski.

Mobiliensem, Thomam Toolen.

Cisamensem, Ludovicum Budanović, Administratorem Apostolicum Bačiensem.

Caesenatensem, Alfonsum Archi, iam Archiepiscopum Darensem, titulo Archiepiscopi ad personam retento.

Arpasensem, Paulum Gojdics, Administratorem Apostolicum dioecesis Eperiensis Ruthenorum.

Calatayeronensem, Ioannem Bargiggia.

Isauropolitanum, Stanislaum Baudry, Vicarium Apostolicum de Ningyuanfu.

Kildariensem et *Leighliensem*, Matthaeum Cullen.

Dardaniensem, Stanislaum Rospond, Auxiliarem R. P. D. Adami Sapieha, Archiepiscopi Cracoviensis.

Rottenburgensem, Ioannem Baptistam Sproll, iam Episcopum Halmyrensem.

Lebediensem, Augustinum Pacha, Administratorem Apostolicum de Timişoara.

Berissensem, Carolum Radoński, Auxiliarem Emi P. D. Augusti Card. Hlond, Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis.

Caliensem, Aloisium Hadrianum Diaz.

Sancti Hippolyti, Michaelem Memelhaüer.

Novae Segobiae, Iacobum Sancho, iam Episcopum Tuguegaraoanum.

Barrensem, Adalbertum Sobral.

de Iacarézinho, nuper erecta dioecesi, Ferdinandum Taddei.

Secoviensem, Ferdinandum Pawlikowski, iam Episcopum Dadimensem.

Adiacensem, Ioannem Rodié.

Hadrianopolitanum in Bithynia, Alexandrum Carlo, Vicarium Apostolicum de Lang-Long.

Zaraitanum, Ioannem Stavěl, Auxiliarem R. P. D. Leopoldi Prečan, Archiepiscopi Olomucensis.

Adadensem, Alexandrum Guidato, Vicarium Apostolicum de Salonicco seu Thessalonicensem.

Thapsitanum, Vincentium Celli.

Davenportensem, Henricum Rohlman.

Helenensem, Georgium Finnigan.

de Dinajpur, dioecesi nuper erecta, Sanctinum Taveggia, iam Episcopum Krishnagarensem.

de Chittagong, dioecesi nuper erecta, Arcturum Alfridum Lepailleur.

Denique ratas Se habere dixit promotiones et electiones factas a R. P. D. Patriarcha Antiocheno Graeco-melchitarum, nimirum:

R. P. Ioachim Iouakim, iam Superioris generalis monachorum Sancti Basilii Graeco-melchitarum Ssmi Salvatoris, ad Ecclesiam cathedralem Mariamnensem Melchitarum;

R. P. Dionysii Kfoury, iam Vicarii generalis Berythensis et Gibailensis Melchitarum, ad Ecclesiam titularem episcopalem Tarsensem Melchitarum;

R. P. Cyrilli Rizk, iam Vicarii Patriarchalis in Hierusalem, ad Ecclesiam titularem episcopalem Caesariensem Melchitarum in Palaestina.

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Feria V, die 23 Iunii 1927, in Aula supra Porticum Basilicae Vaticanae fuit *Consistorium Publicum*, in quo Beatissimus Pater rubrum Pontificalem Galerum imposuit Cardinali LAURENTIO LAURI a Se creato et publicato in Consistorio secreto diei 20 Decembris 1926 ac etiam Cardinali ERNESTO VAN ROEY creato et publicato in Consistorio secreto superioris feriae secundae.

Interea per Advocatum Sacri Consistorii Iosephum Biroccini pro secunda vice peroratio fiebat Causae beatificationis et canonizationis S. D. Contardi Ferrini, viri laici.

III

CONSISTORIUM SECRETUM

Publico Consistorio peracto, habitum est in consueta Aula Palatii Apostolici *Consistorium secretum*.

I. – ORIS CLAUSIO

Beatissimus itaque Pater in primis os clausit Reverendissimo Cardinali Lauri quem die XX Decembris anni elapsi creaverat et declaraverat, itemque Reverendissimo Cardinali Van Roey, pariter creato et declarato die 20 p. e., ne in Consistoriis, Congregationibus, aliisve functionibus cardinalitiis suas valerent proferre sententias.

II. – PROVISIO ECCLESIARUM

Deinde Sanctissimus sequentes proposuit Ecclesias:

Cathedrali Ecclesiae Sherbrookensi praefecit R. P. D. Alfonsum Osia Gagnon, hactenus Episcopum titularem Spigacensem.

Cathedrali Ecclesiae Divionensi, R. D. Petrum Petit de Julleville, Canonicum ad honorem Parisiensem et moderatorem Instituti S. Crucis in loco vulgo *Neuilly*.

Titulari episcopali Ecclesiae Doberitanae, R. D. Homerum Plante, Canonicum honorarium Ecclesiae metropolitanae Quebecensis et parochum loci *Levis* in eadem archidioecesi, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Raymundi Rouleau, Archiepiscopi Quebecensis.

III. – ORIS APERITIO

Os deinde aperuit Reverendissimis Cardinalibus Lauri et Van Roey, iisque anulum tradidit et assignavit:

Reverendissimo Cardinali LAURI, titulum S. Pancratii;

Reverendissimo Cardinali VAN ROEY, titulum S. Mariae in Aracaeli.

IV. – POSTULATIO PALLIORUM

Demum benignissime admisit sacri pallii postulationes favore Ecclesiarum archiepiscopalium *Catacensis* (per elevationem sedis in archiepiscopalem), *Atheniensis*, *Rheginensis*, *Tokiensis*.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ERIGITUR INTERNUNTIATURA APOSTOLICA DE LETTONIA

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — De more Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum ut religiosas res apud dissitas regiones foveamus, Delegationes Apostolicas inibi constitutas, data opportunitate, in Legationes immutamus, ad vincula praesertim cum earundem regionum Gubernis arctiora efficienda. Cum igitur iam anno MDCCCCXXII pro regionibus Lithuaniae, Lettoniae atque Estoniae unicam constituerimus Apostolicam Delegationem, ut nunc Gubernatoribus ac popularibus Reipublicae Lettoniae peculiarem benevolentiae Nostrae significationem exhibeamus, Internuntiaturam Apostolicam pro ipsa Lettoniae republica erigendam existimavimus, certa spe freti hanc animi Nostri testificationem religioni provehendae esse profuturam. Quae cum ita sint, praesentium Litterarum tenore, auctoritate Nostra, Internuntiaturam Apostolicam de Lettonia erigimus et constituimus, eique omnia et singula deferimus iura, privilegia, honores praerogativas, indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, ipsique Legationi per Nos erectae nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc

et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Octobris anno MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

SANCTUARIUM D. N. I. C. A BONO FINE, IN ARCHIDIOECESI SS. SALVATORIS DE BAHIA, BASILICAE MINORIS HONORIBUS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat prope urbem archiepiscopalem S. Salvatoris de Bahia sanctuarium celeberrimum Dño Nostro Iesu Christo dicatum, sub titulo Domini a Bono fine. Hoc templum, anno MDCCLIV fundatum, molis amplitudine, structura et conspicuis artis operibus praestans, simul eminet uti centrum religionis ac pietatis fidelium, tam proximae civitatis S. Salvatoris, et dioecesium finitimarum, quam exterarum etiam regionum ac nationum. Et re quidem vera, complures catholici viri magna fide ac devotione, seorsim, vel turmatim, ad ipsum templum accedunt, et post piam visitationem voti compotes facti, grati animi pignus, multiplices easdemque conspicuas oblationes largiuntur. Largitiones huiusmodi Sanctuarii patrimonium constituunt, atque ex his tum decori ac sollemnitati cultus et ecclesiasticarum caeremoniarum consulitur, tum sacerdotum commoditati sacrum ministerium ibidem peragentium. Confraternitas, sub titulo Nominis Iesu, fidelium numero et bonorum operum assidua exercitatione praeclara, canonice eodem in templo erecta exsistit, nec desunt indulta ac privilegia singularia ab hac Sancta Apostolica Sede concessa. Insignes etiam Sanctorum Martyrum relliquiae, Natalis, Quirini atque Honorati, hac in aede asservantur, sacra supellectile abunde praedita, atque omnibus nominibus praenobili ac dignissima. Haec animo repetentes, cum venerabilis frater hodiernus Archiepiscopus S. Salvatoris de Bahia et Primas Brasiliae, sua et Episcoporum suffraganeorum nec non cleri populique catholici de Bahia fervida vota depromens, Nos suppliciter flagitaverit ut praelaudatum templum Nominis Iesu a Bono fine ad titulum ac dignitatem Basilicae minoris evehere velimus, Nos votis his concedendum ultro liben-

terque existimavimus. Quare collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis a Sacris Ritibus tuendis, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuumque in modum Sanctuarium Ssmi Nominis Iesu, vulgo Domini a Bono fine nuncupatum, intra fines situm archidioecesis S. Salvatoris de Bahia in Brasilia, titulo ac dignitate Basilicae minoris condecoramus, cum adiectis, iuxta decreta et consuetudinem, privilegiis atque honorificentiis.

Haec statuimus, mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare, ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Augusti a. MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

ERECTIO INTERNUNTIATURAE APOSTOLICAE IN REPUBLICA LITHUANA

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Regiones, quae, ab hoc orbis catholici centro dissitae, omni laude dignum erga Romanam Cathedram obsequium ostendant, de more Decessorum Nostrorum peculiaribus benevolentiae Nostrae significationibus libenter cumulamus. Ad hoc autem eo magis movemur, quod certa Nobis spes effulget haec propensi animi Nostri testimonia arctioribus inter populos et Sanctam Sedem vinculis obstringendis magis ac magis esse profutura. Quapropter etiam apud Rempublicam Lithuaniae, in qua usque nunc Apostolicus tantum Delegatus munere suo fungebatur, suppressa Delegatione ipsa, Internuntiaturam Apostolicam praesentium Litterarum tenore, auctoritate Nostra, erigimus et constituimus, eique omnia et singula deferimus iura privilegia, honores, praerogativas, indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri vel

obtinere, ipsique Internuntiaturae Lithuaniae, per Nos erectae, nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

ERECTIO PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE SARAWAK, IMMUTATO NOMINE VETERIS PRAEFECTURAE DE LABUAN ET BORNEO SEPTENTRIONALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae rei sacrae procurationi melius gerendae conducant, quae in exploratam cedant Domini gregis utilitatem, ea ut sollicito studio praestemus Nos admonet supremi munus Apostolatus, quo in terris divinitus fungimur. Idcirco cum venerabilis frater Ioannes Biermans, Episcopus titularis Gargarensis, et Superior generalis Societatis S. Iosephi de Mill Hill, nobis proposuerit ut praefectura apostolica de Labuan et Borneo septentrionali, eiusdem Societatis curis concredita, quae ob nimiam finium extensionem ab unico rectore nequit amplius gubernari, in duas praefecturas apostolicas per Nos divideretur: Nos, probe noscentes aucto numero pastorum incolumitati gregis satius provideri, votis eiusdem Superioris annuendum ultro libenterque existimavimus. Collatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, praefecturam apostolicam de Labuan et Borneo septentrionali in duas praefecturas apostolicas dividimus ac dismembramus, iuxta limites politicos, et harum alteri nomen facimus de *Sarawak* cum iurisdictione in totum regnum huius nominis; alteri vero « de Borneo septentrionali », quae reliqua territoria ad antiquam praefecturam sic per Nos dismembratam pertinentia comprehendat.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et deinceps amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate quavis, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Februarii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

V

TEMPLUM DOMINAE NOSTRAE A VICTORIIS, LUTETIAE PARISIORUM, TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat Parisiensi in civitate Deo Optimo Maximo sacrum templum ad honorem Beatae Virginis Deiparae sub titulo de Victoriis, quod, cum iam anno MDCXXIX, Galliae rege Ludovico XIII expensis necessariis munifice opitulante, inceptum esset, eiusdem exaedificatione per longum annorum spatium producta, anno tantum MDCCXXXX perfectum, die tandem XIII Novembris ipsius anni sollemniter consecratum est. Ecclesia eadem, tunc temporis religiosis viris Ordinis Sancti Augustini concredita, decore aucta est operum, quae, affabre facta, non modo ad sacras supellectiles sese extendēre sed ad peramplum chorum e sculpto ligno atque ad picturas, quae, celebris Galliae pictoris ingenio ac manu paratae, parietes magnifice ornant. Saeculo decimo octavo exeunte, haec etiam ecclesia iacturas iniuriasque est passa, quas immisericordes tunc reipublicae moderatores, revolutionis gallicae caussa, rebus religionis Christi, templis, domibusque religiosorum intulerunt: ita ut, monachis expulsis, ad profanum quoque usum conversa sit. Postea denuo ad sacra restituta est, atque ibi paroeciam per presbyteros saeculares regendam Antistites Parisiensis archidioecesis constituerunt. In ipsius vero paroecialis sacrae aedis sacello, Immaculato Cordi Beatae Mariae Virginis dicato, notissima erecta est archisodalitas, quam curio paroeciae ad S. Mariae de Victoriis, mense Decembri an. MDCCCXXXVI fundavit. Plurimi

sunt cuiusvis ordinis et coetus christifideles, qui nomina sua dedere archisodalitati ipsi, vel confraternitatibus eidem aggregatis, quae non modo Parisiis atque in finibus Galliae, sed ubique terrarum frugifere erectae sunt. A constitutae consociationis initiis usque ad hunc diem omnes ad Parisiense templum conveniunt simulacrum Virginis de Victoriis veneraturi: inibi innumerabiles fidelium turmae, peregrinorum more occurrentes, magis magisque in dies pietatem suam in Deiparam palam piissimeque ostendunt; Nos etiam olim, primis adhuc sacerdotii temporibus, Ablegatum Apostolicum Parisiis comitantes, ut fide Nostra atque observantia Virginem Mariam sub titulo de Victoriis prosequeremur, Imaginem in ecclesia Parisiensi suam devote visitavimus. Ultro libenterque propterea, haec animo repetentes, precibus concedere volumus, quas hodiernus parochus, amplissime suffragante Archiepiscopo Parisiensium Ludovico Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Dubois, ad Nos enixe admovet, ut memoratum templum Mariale sive sanctuarium dignitate Basilicae minoris augere dignemur. Conlatis itaque consiliis cum venerabili fratre Nostro Antonio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Vico, Episcopo Portuensi ac Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum ecclesiam sive sanctuarium Beatae Mariae Virginis de Victoriis, intra civitatis atque archidioecesis Parisiensis fines, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, privilegiis atque honoribus, quae iuxta mores ac decreta Sacrae Rituum Congregationis sacris aedibus, hoc titulo auctis, competunt.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper existere ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII m. Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. MARTINUM HUBERTUM RUTTEN, EPISCOPUM LEODIENSIUM PONTIFICIO SOLIO ADSTATOREM, XXV EPISCOPATUS ANNUM EXPLENTEM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Praeclaras sane grates Nos tecum Deo agimus quod eo aetatem tuam benigne produxit ut laetitia eventi duplicis simul fruereris: natali scilicet, qui appetit, et episcopatus tui vicesimo quinto et sacerdotii sexagesimo. Profecto huiusmodi tua sunt in Ecclesiam promerita tamque excelso loco laus tua sita est ut, non modo Leodiensis clerus populusque, sed etiam sacrorum Antistites bene multi virique omnis ordinis illustrissimi, uti accepimus, hanc rei faustitatem celebrare cupiant. Ac iure quidem tanta ipse apud omnes virtutis opinione flores. Cum enim, a sacerdotio vix inito, recte adulescenti clero instituendo te totum dedidisses, diu sapienterque tribus deinceps Seminariis praefuisti; nec minus de Leodiensi Ecclesia bene meritus es cum potestatis vicariae officium ita obiisti ut ad episcopalem deinde honorem, omnibus plaudentibus, evehereris. Iamvero tum praesertim visus es maiorem, si quidem fieri poterat, sollertiam novo explendo muneri afferre: etenim, inter alia, tua cura studioque factum est ut et plurimae sacrae aedes, et collegia non pauca in iuventutis utilitatem conderentur. Huc accedit quod, scriptis magni sane momenti, sancta Ecclesiae iura christianaeque sapientiae principia strenue tueri contendisti. Auspicato igitur mox optatus dies illucescet, quo ipse tuorum praesentia et amore frueris: qui dies augustior certe fiet per epistulae huius Nostrae accessionem, qua equidem Nostram tibi peculiarem benevolentiam testamur. Atque omnium vota ominibus Nostris cumulantes, libenter tibi damus ut in eventu tam fausto adstantibus nomine Nostro benedicas et plenam admissorum veniam, statis nempe conditionibus lucrandam, eisdem proponas. Caelestiumque donorum auspex Apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, tuisque omnibus effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die V m. Maii a. MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. CAROLUM FRITZ, ARCHIEPISCOPUM FRIBURGENSEM, IN CENTESIMUM ANNUM A CONDITA ARCHIDIOECESI.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Didicimus abs te nuper in eo vos esse ut anniversarium centesimum celebretis, ex quo ista archidioecesis rite constituta est. Omnino vos decet faustum huiusmodi eventum omnibus laetitiae significationibus agere; etenim ob saecularem illam constitutionem aptius quidem pleniusque animarum saluti et rei catholicae necessitatibus, tam diuturno annorum spatio, consultum est. De his igitur beneficiis omne genus, unde vestra maiorumque vestrorum fides perpetuo roborata est, debitas sane grates Nos vobiscum coniuncti largitori bonorum omnium Deo in hac sacra celebratione persolvimus; vota simul ac preces eidem fundentes ut praesentissima sua ope vel in posterum vos prosequi tuerique pergat. Libenter autem certiores facti sumus istam rei faustitatem non modo sollemnem fore ob magnam populi frequentiam, sed etiam augustiorem factum iri ob praesentiam lectissimorum virorum; quos inter Nostrum in Germania Apostolicum Nuntium, Episcopos non paucos ipsosque Civitatis Badensis primores affuturos esse comperimus. Itaque Nos, quibus cum Ecclesia universa tum dioeceses singulae divinitus creditae sunt, temperare non possumus quin gaudia vestra ex animo participemus; quod facimus per has litteras, quas paternae benevolentiae Nostrae nuntias esse volumus. Quo vero recordatio ista fructuosior evadat, facultatem tibi damus ut sollemni die, sacris operatus, adstantibus nomine Nostro benedicas, plenariam admissorum veniam eisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Ac caelestium conciliatrix munerum apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, universoque tuo clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI m. Maii a. MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

APPROBATIONES

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis de Religiosis:

29 Martii 1927. — Instituti *Fratrum Nostrae Dominae de Lourdes* nuncupati, cuius domus princeps sita est in dioecesi Gandavensi, *Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium, approbavit;*

7 Maii. — Institutum *Sororum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae, Brentwooden.*, cuius domus princeps sita est in ipsa dioecesi Brentwoodensi, *approbavit, itemque eius Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium;*

— Instituti Sororum vulgo *Figlie di San Giuseppe* nuncupati, cuius domus princeps sita est Venetiis, *Constitutiones definitive approbavit;*

— Institutum *Sororum* vulgo *de Notre-Dame du Saint-Rosaire* nuncupatum, cuius domus princeps sita est in dioecesi S. Germani, *laudavit, eiusque Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium, approbavit;*

6 Iunii. — Institutum religiosarum, vulgo *Sœurs Carmélites de Saint-Joseph* nuncupatum, cuius domus princeps sita est in dioecesi Augustodunensi, *approbavit, itemque experimenti gratia, ad septennium, eius Constitutiones;*

— Congregationem religiosam, *Sorores Franciscales, Filiae Sacrorum Cordium Iesu et Mariae* nuncupatam, cuius domus princeps sita est in ipsa dioecesi Paderbornensi, *laudavit, eiusque Constitutiones, experimenti gratia, ad septennium, approbavit.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

HIEROSOLYMITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE A IESU CRUCIFIXO SORORIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

In oppido Abellenensi, Ptolemaiden. Melchitarum dioecesis in Galilaea, prope Nazareth, ex honestis piisque coniugibus Georgio Baouardy et Maria Cahyn, die 5 Decembris anni 1846 ortum duxit, postrema ex tredecim filiis, infantula quae sancto baptismo regenerata, indito nomine Maria, eademque die sacro chrismate confirmata fuit. Puella succrescens, immatura morte utriusque parentis, paucis interiectis diebus, horum subsidiis orbata et orphana remansit. Illud mentione dignum est quod pater, gravi morbo vexatus et prope moriturus, filiolam suam advocans eamque praesentem in tutelam Patriarchae S. Ioseph obtulit, ut ope et vigilantia paterna ipsam tueretur, sicut Deiparae Virgini eius Sponsae Mariae tamquam dulcissimae matri iam erat credita. Sub his novis faustisque auspiciis orphanae curam suscepit optimus patruus qui modestiam, obedientiam, caritatem in pauperes aliasque virtutes neptis expertus est et admiratus, fovit et auxit. Angelorum pane refici exoptans, Maria iterum iterumque confessario suo veniam petiit, sed ob teneram aetatem non obtinuit. Vix octennis morae impatiens, non absque superno lumine ac instinctu, ad arcanam quandam vocem sponsi: *Veni ad me*, Maria respondens: *Ecce venio*, ad sacram mensam advolat et salutari hostia satiatur, ineffabili gaudio perfusa. Mirabilis hic primae Communionis eventus, qui simile in memoriam revocat exemplum Beatae Imeldae gloriosae Virginis Bononiensis et Ordinis S. Dominici, cuius solemnitas centenaria beatificationis ad S. Mariam supra Minervam sacris ritibus et caeremoniis nuperrime

celebrata est, induxit confessarium licentiam dare Mariae quolibet sabbato sacram synaxim devote recipiendi, ut divino Filio ita iuncta et recreata magis placeret divinae Matri quam puella suavi invocatione matrem suam appellabat et cuius imaginem floribus et obsequiis religiosa pietate frequenter ornabat. In domo patrui rei familiari et assiduae orationi, speciatim naturae et gratiae operibus ac beneficiis contemplandis, supra aetatem iugiter intenta, istas in Deum ascensiones et spirituales delicias veluti futurorum bonorum pignora praegustabat. Quum esset in aetate tredecim annorum, iuxta morem orientalium patruus insciam puellam proximo parenti desponderat, sed haec, re cognita, consensum suum strenue denegavit, nec blanditiis nec minis, quas sufferre debuit, a suo proposito recedere voluit. Quin imo ad quodcumque periculum amovendum, domum patrui relinquere ac in domum amitae quae Paulum eius fratrem germanum iam susceperat, se recipere statuit. Accidit autem ut infidelem quemdam sibi familiaritate coniunctum rogaret, ut ad fratrem suum epistolam mitteret de consilio perficiendo. Sed hic ab initio petitioni libenter annuens, postea tamen inter coenam suadere conatus est Mariam ad religionem christianam deserendam: quod Dei famula statim et constanter forti animo recusavit. Tunc impius et crudelis vir repentino furore aestuans, acinacis ictu illi fauces secavit, eamque veluti mortuam panno involvit et per fenestram proiecit. Deo iuvante et a periculo erepta et libertate donata, quum gravi egestate laboraret, Ancilla Dei, ad vitam sustinendam, famulatui se addixit, primum in domo cuiusdam Naggiar in civitate Beyruth, dein in altera dominae Nadjar in civitate Massiliensi. Illic summo mane collem B. M. V. de la Garde nuncupatae ascendebat, ibique in templo orabat Sacroque adstabat, donec ad suum officium diligenter implendum rediret. Quum vero statum religiosum amplecti exoptaret, favente et auxiliante pia domina Nadjar, superatis obstaculis, in Instituto Sororum S. Ioseph ab Apparitione recepta est. Infimis destinata officiis, optimum suae virtutis specimen dedit, supernaturalibus etiam donis aucta. Exacto postulatus tempore, antequam ad vota emittenda faceret progressum, absente antistita generali, Maria ab Instituto dimissa est, fortasse quia ipsa magis idonea ad vitam contemplativam quam ad activam reputaretur. Quam dimissionem aegre tulit antistita generalis in domum reversa non minus quam seniores et probatae sorores quae probe sciebant virtutes et qualitates amissae puellae. Haec tamen in tristi eventu tranquillam animam et bonam spem cum fiducia in Deum servavit, et quod acciderat in bonum suum conferre sensit et experta est. Nam Soror Veronica, novitiatus magistra, obtenta licentia ad Ordinem Carmelitarum transeundi, Mariam suam tyronem suasit eandem religiosam familiam secum amplexari, et facilem magisque

congruum obtinuit assensum. Quare Dei famula una cum Veronica, e civitate Massiliensi ad Carmelum Palense profecta est, ubi pervenit in pervigilio festi Ssmae Trinitatis anno 1867, decimoctavo saeculari a glorioso martyrio et triumpho Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. A matre Elia, monasterii carmelitici priorissa humanissime accepta, Dei famula summo animi gaudio inter postulantes et tyrones aggregata fuit sub magistra novitiatus M. Maria a S. Ioseph, atque in statu probationis et tirocinii singularibus virtutibus et gratiis extraordinariis adeo eluxit ut tempus postulatus meruerit notabiliter imminutum. A Rev. Dom. St Guily, archipresbytero S. Martini de Pau et superiore monasterii, Maria Baouardy, in *patrinum* et *matrinam*, uti vocant, et iuxta morem, selectis S. Elia propheta et S. Teresia, Ordinis Matre et Magistra, religiosum habitum rite accepit, assumpto nomine soror Maria a Iesu Crucifixo. In virtutibus bonisque operibus progrediens, haec humilis soror diabolicis tentationibus et incursionibus, Deo permittente, subiecta est eiusque corpus omnibus modis ita graviter percussum ut e vita migrasse visa fuerit. Ipsa tamen fortis in fide, ex hac probatione et colluctatione, insidias et nequitias hostis maligni devicit, et a gravi discrimine incolumis evadens, effusas Deo gratias toto animo egit. Insuper per suam misericordiam et providentiam D. N. Iesus Christus praesto fuit Mariae novis auxiliis. Namque Vicarius Apostolicus Mangalorensis in Indiis, Dominus Maria Ephrem, volens erigere domum Carmeli, consilium suum exposuit sororibus domus Palensis, quae libenter adhaeserunt et iter aggressae sunt anno 1870 sex sorores, inter quas M. Elia priorissa et Dei famula Maria Iesu Crucifixi. In itinere duae sorores mortifero morbo affectae obierunt, et ipsa Mater Elia vix ad Indos pervenit, pariter e vita migravit. Reliquae Mangalorensem civitatem feliciter attigerunt et in nova Carmeli domo respectivis officiis navarunt. Dei famula novitiatum suum explevit et die 21 Novembris 1871 solemnem professionem coram praedicto Vicario Apostolico emisit summa animi laetitia et pietate. Sed huiusmodi gaudium paulo post turbatum fuit vexationibus et angoribus. Nam cum ipsa renuisset superiorissae domus patefacere ecstases et visiones quas experiebatur, nisi sanctae obedientiae vi fuisset adstricta, ita iubente Deo, ut ipsa asserebat, quamvis parata esset confessario et Episcopo eas pandere, huiusmodi repulsa male accepta et Vicario Apostolico renuntiata, in superiorum et sororum despectum incidit quasi non bono sed malo spiritu ageret: ideoque pluribus molestiis vexata ad domum Palensem redire coacta est. Ante discessum tamen subitam Vicarii Apostolici mortem et missionis translationem ad Societatem Iesu praenunciavit: sicut uterque confirmavit eventus. Pali reversa humilis et confusa a superiorissa atque sororibus comiter ac benigne excepta et animata,

sui muneris exercitia diligenter implevit, donec quatuor post annos cum aliis sororibus Bethlem petiit ut novum Carmelum excitaret, ubi usque ad obitum permansit, praeclarae virtutis et operosae industriae exemplar. Die 22 Augusti anno 1878 dum vas aquae plenum gestabat in clivoso calle, viribus deficientibus, corruit et brachii fracturam subiit. Sic cruciata in lectulo iacens, multos dolores patienter tulit, donec ingravescente morbo, ecclesiae Sacramentis piissime susceptis, ipso Patriarcha Hierosolymitano sacram unctionem ministrante, die 26 Augusti eiusdem anni, in aetate triginta trium annorum, uti praenunciaverat, virtutibus et meritis dives obdormivit in Domino. Eius vita Parisiis typis edita an. 1922 conscripta fuit a Dionisio Buzy, Carmeli de Bethlem capellano. Hic pauper et humilis flos, in Terra Sancta, regione et patria Sanctae Familiae et veteris novique Testamenti Sanctorum utriusque sexus, suum selectarum virtutum odorem caelestibus quoque charismatibus cumulatum efflavit atque diffudit, ante et post obitum. Eius sanctimoniae fama magis in dies clara et perseverans viam aperuit Ordinariis inquisitionibus super ea perficiendis, praecipua inita ab Excmo Patriarcha Philippo Camassei in Patriarchatu Hierosolymitano et ipsius Patriarchae rogatu aliae in aliis nonnullis dioecesibus.

Quibus Actis processualibus expletis et ad S. Rituum Congregationem delatis, quum, ordine iuris servato, scriptis Servae Dei perquisitis, revisis et probatis per decretum die 23 Iulii an. 1924, nihil obstet quominus de beatificationis et canonizationis Causa introducenda disceptari possit, instante Rmo P. Iulio Saubat, huius Causae Postulatore legitime constituto, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium ac Excmi Patriarchae Hierosolymitani Aloysii Barlassina et plurium Illmorum Revmorum Archiepiscoporum et Episcoporum necnon Abbatum, Canonicorum ac Superiorum Ordinum et Congregationum religiosarum utriusque sexus, aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Camillus Laurenti, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Carolo Salotti, Fidei Promotore generali, omnibus sedulo discussis ac perpensis rescribere censuerunt: « Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit ». Die 17 Maii 1927.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI per ipsum Fidei Promotorem generalem relatione, Sanctitas Sua, Rescriptum sacrae Rituum Congregationis ratum habens, propria manu signare

dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonizationis praefatae Servae Dei Mariae a Iesu Crucifixo, Sororis professae Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, die 18 Maii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

CADURCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI ALANI DE SOLMINIHAC, CANONICI REGULARIS LATERANENSIS, EPISCOPI CADURCENSIS.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Pervetusta aeque ac perillustris Cadurcensis dioecesis plurimum quidem debet antistiti suo praeclarissimo Alano de Solminihac, qui, saeculo XVII vertente, eam gubernandam suscepit, tantaque navitate tantoque pastoralis sollicitudinis studio in munere sibi credito incubuit, ut aegrae societatis vulnera sanaverit, deplorandam illius conditionem penitus mutaverit, laudemque sibi comparaverit extento aevo duraturam.

In oppido *Beleto* intra Petrocoricensis provinciae fines ortus, parentes sortitus est praenobiles ac religionis catholicae studiosissimos, a quibus fidei rudimenta ipse accepit, bonisque moribus est imbutus. Inter mundi varietates versari coactus, prout eius familiae conditio ferebat, a quavis peccati labe se expertem servare studuit. Annum autem vicesimum vix erat praegressus, quum patrui sui invitationi obsequutus Chancellatae inter Canonicos Regulares S. Augustini se recepit, assumptaque Abbatis dignitate sibi a patruo suo delata iuxta vigentem tunc temporis morem, ad opportuna studia se convertit, et Lutetiam Parisiorum contendit, ut philosophicas ac theologicas disciplinas addisceret. Quibus absolutis, Cadurcenses inter sodales est reversus, statimque collapsam disciplinam ad apostolicae vitae normam restituere aggressus est. Salebrosum graveque hoc

negotium singulari prudentia perfecit, tantamque sibi famam conciliavit, ut dignus censeretur, qui dioecesi regendae praeficeretur.

Designatus est itaque ad dioecesim Vauriensem; ast nihil intentatum reliquit vir Dei, ut ab onere adeo formidabili se subduceret. Haec vero reluctantia, quae maximum humilitatis spiritum aperte prodebat, Alanum, qui ad amplioris dioecesis regimen promoveretur, dignum revelavit. Cadurcensi igitur Ecclesiae, ipso perperam obnitente, datus est Episcopus, eidem reservato Abbatiae de Chancellata supremo regimine, ut salutare ab eo iam inductum reformationis opus roboraretur. Ubi primum in dioecesis possessionem est immissus, perspicue conspexit, quantum zizaniae esset radicitus extirpandum, et quot exantlandi labores, ut priscae religionis et pietatis studium in populo excitaretur. Res ardua summopere erat; namque christianae catecheseos vel ipsa rudimenta passim ignorabantur; templa Dei prope deserta squalebant; cauponae autem multitudine opplebantur, die praesertim dominico, quo die ne ab operibus quidem cessatio fiebat ulla; Sacramentorum usus propemodum nullus erat: ludis vero et choreis plerique omnes perlibenter indulgebant. Incredibile dictu est quot et quanta operatus sit Ven. Antistes, ut novam Ecclesiae suae progeniem pararet. Pastoralibus visitationibus vicos et oppida pluries lustravit, et ubique divini cultus splendorem restituere contendit. Labantem cleri disciplinam ad Ecclesiae leges apostolica libertate revocavit, morumque emendationi maxime incubuit, e christianis familiis scandala pravasque consuetudines profligavit, mala vitiorum germina evellere sategit, noxiasque doctrinas e suae ditionis finibus expellere ac extirpare connisus est. Puerorum vero et puellarum rectae institutioni apprime consuluit, ex qua societatis cuiusque felicitatem prope pendere nemo est qui nesciat.

Forma factus gregis ex animo numquam quievit, eiusque cogitationes, verba atque opera ab uno eodemque principio semper dimanarunt, unum eumdemque finem spectaverunt, *gloriam Dei* nempe atque *animarum salutem*. Viginti ac trium annorum spatio, quo Ven. Alanus Cadurcensem Ecclesiam haud intermissis laboribus excoluit, exemplar absolutum apostolici viri in episcopali dignitate exhibuit; atque eius indefesso zelo renovata est facies universae dioecesis, adeo ut praeclarum illud praeconium eidem accommodatum videatur, quod Carolo Borromaeo tributum fuit: *Partes suas in dies magis implendo, agrum illum malitia temporum vepribus turpiter deformem ac silvescentem in eum restituit nitorem, ut Ecclesiam suam praeclarum exemplar redderet Ecclesiae disciplinae* (In Bulla Canoniz.).

Virtutibus et operibus clarus, corporis viribus maxime debilitatus, die postrema anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni, praecognita mortis adventantis hora, placidissimo exitu vitam conclusit, eximiam relin-

quens sanctitatis famam. Qua factum est, ut de caelitum honoribus eidem comparandis statim cogitatum fuerit. Sed adversae temporum et locorum conditiones aliaque adiuncta Causae introductionem retardarunt ad annum usque millesimum septingentesimum octogesimum tertium; et quae subinde vicissitudines sequutae sunt diuturniorem moram Apostolicis condendis tabulis attulerunt, ac nonnisi die tertia Martii, anno millesimo nongentesimo decimo quarto, celebrari potuit Congregatio Antepraeparatoria, quae coacta fuit apud fel. rec. Card. Dominicum Ferrata, causae Relatorem. Quinquennio post in sacris Vaticanis aedibus coadunata est Congregatio Praeparatoria, quae, ad maiorem perspicuitatem assequendam, iterata fuit die vicesima quinta mensis Octobris, anno millesimo nongentesimo vicesimo primo. Novissime vero, nempe die decima quarta volventis mensis, universus Disceptatorum coetus coactus est coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quo Reverendissimus Card. Raphael Merry del Val, causae Ponens, ad discutiendum praesens Dubium proposuit: « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* » Omnes qui aderant, tum Reverendissimi Cardinales, tum Patres Consultores sua ex ordine suffragia tulerunt, quae Beatissimus Pater intento prosecutus est animo, cunctosque est cohortatus ut precibus caelestis luminis copiam implorarent.

Quum autem mentem suam pandere statuisset, hodiernam diem, Dominicam infra Octavam sanctissimi corporis Christi, selegit, divinisque devotissime operatus, accersiri mandavit Reverendissimos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacraeque Rituum Congregationi Praefectum, et Raphaelem Merry del Val, causae Relatorem; itemque R. P. Carolum Salotti, Fidei Promotorem generalem, meque infrascriptum Secretarium, eisque adstantibus solemniter edixit: *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis Ven. Servi Dei Alani De Solminihac in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur, ut ad ulteriora, hoc est ad quatuor miraculorum discussionem procedi queat.* Decretum autem hoc publici iuris fieri et in acta sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, tertio decimo Kalendas Iulias anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 14 Giugno 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi l'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Riti, nella quale gli Emi e Rmi Signori Cardinali, i Rmi Prelati ed i Consultori teologi, componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio delle virtù in grado eroico nella causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Servo di Dio Alano de Solminihac, Vescovo di Cahors.

Martedì, 21 Giugno 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Nuova Preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dal Ven. Servo di Dio Giovanni Martino Moyë, Sacerdote delle Missioni Estere e Fondatore dell'Istituto delle Suore della Provvidenza.

Martedì, 28 Giugno 1927, presso l'Emo e Rmo Signor Cardinale Gennaro Granito Pignatelli di Belmonte, Ponente della Causa di Beatificazione e Canonizzazione della Serva di Dio Gemma Galgani, Vergine, si è tenuta la Congregazione dei Sacri Riti *Antipreparatoria*, nella quale, dai Rmi Prelati Officiali e dai Consultori teologi della medesima, si è discusso il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla stessa Serva di Dio.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

10 Giugno 1927. L'Emo Sig. Cardinale Giovanni Battista Nasalli Rocca, *Protettore dell'Istituto delle Dame Orsoline di Piacenza.*

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

29 Aprile 1927. Monsig. Luigi Graziano, della diocesi di Cotrone.
31 Maggio » Monsig. Luigi Lauletta, dell'archidiocesi di Santa Severina.

Prelati Domestici di S. S.:

2 Febbraio 1927. Monsig. Francesco M. Orr, della diocesi di Leavenworth.
4 Maggio » Monsig. Guglielmo Berg, della diocesi di Fort Wayne.
21 » » Monsig. Alfredo Vitali (Roma).
24 » » Monsig. Giacinto Parisio, della diocesi di Susa (Roma).
» » » Monsig. Antonio Giuseppe de Oliveira Bouças, della diocesi di Santiago di Capo Verde.

24 Maggio 1917. Monsig. Giacomo F. Mc Gloin, della diocesi di Buffalo.
» » » Monsig. Ettore Felici (Roma).
31 » » Monsig. Matteo Kaemmerer, della diocesi di Magonza.
7 Giugno » Monsig. Vincenzo Tuzi, della diocesi di Sora.
20 » » Monsig. Carlo Payne, della diocesi di Nottingham.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda dell'Ordine Piano:

30 Maggio 1927. Al sig. marchese Arduino Lucifero, della diocesi di Cotrone.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

13 Giugno 1927. A S. E. il sig. dott. Eduardo Dagnino Penny, già Ministro plenipotenziario del Venezuela presso la Santa Sede.

La Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 Giugno 1927. Al sig. comm. Michele Alberto Gatti, dell'archid. di Torino.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

25 Maggio 1927. Al sig. cav. Luigi Antonini, dell'archidiocesi di Milano.
27 » » Al sig. dott. Ignazio De Nicola (Roma).
» » » Al sig. dott. Giacomo Walsh Benson, della diocesi di Middlesborough.
30 » » Al sig. Mario Ramelli, della diocesi di Bergamo.
5 Giugno » Al sig. prof. Felice Ramorino, dell'archidiocesi di Milano.
9 » » Al sig. dott. Carlo Schindler, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare:

25 Maggio 1927. Al sig. comandante Giovanni Tsuru (Giappone).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

2 Febbraio 1927. Al sig. Tommaso J. Maloney, della diocesi di Newark.
24 Maggio » Al sig. Emilio Ronco, dell'archidiocesi di Milano.
» » » Al sig. dott. Pietro Guglielmo Cornelio M. Busch, della diocesi di Harlem.
27 » » Al sig. Guglielmo Boden, dell'archidiocesi di Colonia.
28 » » Al sig. Giovanni Grignard (Belgio).
» » » Al sig. Daniele Tire (Belgio).
» » » Al sig. Domenico Matta, dell'archidiocesi di Torino.
6 Giugno » Al sig. Gabriele Chemin, dell'archidiocesi di Reims.
9 » » Al sig. dott. Federico Brunner, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.
13 » » Al sig. Stefano Morlier, della diocesi di Gand.

20 Giugno 1927. Al sig. Ludovico Nemoz, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Enrico Teyssier, della medesima archidiocesi.
» » » Al sig. Francesco Jullien, della medesima archidiocesi.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

31 Maggio 1927. Al sig. Mattia Huelin y Muller, della diocesi di Badajoz.
» » » Al sig. Filippo Cantù, dell'archidiocesi di Milano.
6 Giugno » Al sig. Gioacchino Diniz da Fonseca (Portogallo).
» » » Al sig. Tommaso de Gamboa (Portogallo).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

30 Aprile 1927. Al sig. Gabriele Bernardi, della diocesi di Sebenico.
24 Maggio » Al sig. Werner Schumacher, dell'archidiocesi di Colonia.
» » » Al sig. Bernardo E. Bloemer, della medesima archidiocesi.
25 » » Al sig. Carlo Ottolino, dell'archidiocesi di Milano.
27 » » Al sig. Pietro Hensen, dell'archidiocesi di Colonia.
8 Giugno » Al sig. Francesco Bartsch, della diocesi di Danzica.
20 » » Al sig. Enrico Theissen, dell'archidiocesi di Colonia.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

17 Gennaio 1927. Monsig. Tommaso Wlazowski, della diocesi di Premislia lat.
» » » Monsig. Stanislao Kwiecinski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuliano Krygowski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Eugenio Zukowski, della medesima diocesi.
21 Febbraio » Monsig. Leone Kasyna, della diocesi di Culma.
21 » » Monsig. Giuseppe Szydzik, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Paolo Teichert, della medesima diocesi.
14 Maggio » Mensig. Paolo Schönke, dell'Amministrazione Apostolica di Tütz.
21 » » Monsig. Antonio Schulte, della diocesi di Münster.
24 » » Monsig. Giuseppe Bearzotti, dell'archidiocesi di Udine.
» » » Monsig. Pietro J. Dunne, dell'archidiocesi di S. Luigi, Missouri.
» » » Monsig. Giuseppe Brüx, della diocesi di Osnabrüch.
30 » » Monsig. Luigi Cozio, dell'archidiocesi di Torino.
31 » » Monsig. Biagio Cesnys, doll'archidiocesi di Kaunas.
3 Giugno » Monsig. Giuseppe Chiot, della diocesi di Verona.
9 » » Monsig. Primo Principi (Roma).
10 » » Monsig. Giuseppe Sladek, dell'archidiocesi di Praga.
21 » » Monsig. Giuseppe della Cioppa, dell'archidiocesi di Capua.
» » » Monsig. Vigilio Dalpiaz, della diocesi di Trento.
» » » Monsig. Giosuè Venturi, della diocesi di Acquapendente.

Cameriere Segreto di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.:

17 Gennaio 1927. Il sig. Severino Korab-Dolanski, della diocesi di Premislia latina.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

21 Febbraio 1927. Monsig. Romualdo Frydrychowicz, della diocesi di Culma.
» » » Monsig. Francesco Rozynski, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Wysinski, della medesima diocesi.
14 Maggio » Monsig. Felice Qualandri, della diocesi di Ferentino.
24 » » Monsig. Giuseppe Benetti, dell'archidiocesi di Milano.
17 Giugno » Monsig. Riccardo d'Azzeo (Roma).
18 » » Monsig. Alberto Helmke, del pro-vicariato di Danimarca.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

21 Giugno 1927. Il sig. Goffredo Ros y Fillol, dell'archidiocesi di Valenza.
» » » Il sig. José Vicens Moltó, della medesima archidiocesi.

Camerieri d'onore extra urbem *di S. S.:*

17 Giugno 1927. Monsig. Umberto Busato, della diocesi di Santa Maria.
» » » Monsig. Armando Teixeira, della medesima diocesi.

NECROLOGIO

7 Giugno 1927. Monsig. Alfredo Giulio Melisson, Arciv. tit. di Viminacio.
9 » » Monsig. Daniele M. Gorman, Vescovo di Boise City.
17 » » Monsig. Giovanni di Gesù Herrera y Piña, Arcivescovo di Monterey nel Messico.
19 » » Monsig. Ludovico Antomelli, Vescovo di Lodi.
» » » Monsig. Angelo Portelli, Vescovo tit. di Selinonte.
26 » » Monsig. Michele Zezza di Zapponeta, Patriarca latino di Costantinopoli.
29 » » Monsig. Luigi Humbrecht, Arcivescovo di Besançon.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
RITUALE ROMANUM Pauli V Pontificis Maximi jussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum. – Editio typica. Edizione su carta indiana: altezza della pagina, compreso il margine, mm. 145, larghezza mm. 90, spessore del libro mm. 20. Luce esatta della stampa mm. 125×76. Peso gr. 240. Un volume in-18° di pp. VIII-248, adorno di varie artistiche incisioni. Stampa accurata, caratteri neri e nitidissimi impressi in rosso-nero, con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	17 —	19 —	20 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	23 —	25 —	26 —
— Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	24 —	26 —	27 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	29 —	31 —	32 —
— Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	34 —	35 —
Missae Defunctorum ex Missali Romano desumptae. Accedit Ritus absolutionis pro Defunctis. Edizione tipica Vaticana su carta forte, con caratteri grandi e ben leggibili, stampa in rosso-nero, iniziali ed illustrazioni (grandezza della pagina stampata 27×18 – con i margini 31×22 1/2 (gr. 205)	7,50	8,50	9,50
— Legato in tela nera, croce in argento sui cartoni, taglio in argento, segnacoli, ecc.	18 —	19,60	20,50
Tres Missae in commemoratione omnium fidelium Defunctorum. Sei pagine in foglio piccolo (luce di stampa, cm. 18×27), con artistica incisione in testa alla prima pagina, largo margine che permette di aggiungerle ai Messali di maggior grandezza, caratteri grandi e ben marcati, stampa accurata in rosso e nero, carta fortissima a mano-macchina (gr. 40)	1 —	1,30	1,50
Praefatio in Missis Defunctorum, *sine cantu* et *cum cantu*. Un foglio di pp. 4, su carta forte, stampa in rosso-nero (gr. 13)	0,60	0,80	1 —
In Festo S. Ioannis a Cruce, Confessoris et Ecclesiae Doctoris (die 24 Novembris):			
— **Missa.** In-folio, pp. 2, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 (gr. 5)	0,60	0,70	1,10
— **Missa.** In-4° piccolo, caratteri neri e rubriche in corsivo, *carta comune* (15×24)	0,50	0,60	1 —
— **Officium.** In-16°, caratteri rosso-neri, carta indiana, pp. 6	0,80	0,90	1,30
PROFUMO P. LUIGI, S. I. **Vita di S. Luigi Gonzaga,** D. C. D. G., scritta per i giovinetti. Edizione ottava, in-16°, di pp. 64	0,90	1,10	1,40
Cento copie	80 —	86 —	110 —
Esaurita la settima edizione di questo libriccino in pochi mesi, presentiamo vie più corretta l'edizione ottava. La vita dell'Angelo de' Gonzaga è fedelmente esposta nella vitina con tinte attraenti, con vibrato sentimento; sicchè si è portati a leggere tosto tutto l'opuscolo con grande frutto di devozione tenera e costante a S. Luigi, con vivo impulso ad imitarlo nelle sue virtù sublimi. Il diffondere questo libretto, che contiene pure riflessioni dopo ogni capo, e preci in fine, con un regolamento per i sodalizi aloisiani, è esercitare un nobile apostolato fra la gioventù tanto insidiata dal mondo perverso e pervertitore. L'edizione è decorosa e bella, e il prezzo assai mite.			
— **Vita di S. Stanislao Kostka,** D. C. D. G. In-16°, pp. 100	1,30	1,60	1,80
Coincide col centenario di S. Luigi, pur quello di S. Stanislao Kostka, e ne fu inculcata la celebrazione dal Santo Padre Pio XI. A ciò giova assai l'opuscolo che annunziamo. In esso è lumeggiato S. Stanislao come patrono di tutti i giovani nei tirocinii delle loro carriere, essendo egli stato uno splendido modello nel tirocinio dell'Istituto religioso da lui abbracciato, nei soli dieci mesi che vi ebbe a vivere.			
BOSSI Mons. Prof. GAETANO. **Le liriche di Q. Orazio Flacco.** Versione ritmica; con Indice alfabetico dei vocaboli degni di nota, specialmente storici, geografici e mitologici, 1927, pp. XVI-124 (22×15) . .	10 —	10,75	12 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis„ (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).

BIBLIA SACRA, iuxta latinam vulgatam versionem ad codicum fidem, iussu Pii Pp. XI, cura et studio Monachorum Sancti Benedicti, Commissionis Pontificiae a Pio Pp. X institutae sodalium, praeside Aidano Gasquet S. R. E. Cardinale, edita. – **Librum Genesis,** ex interpretatione Sancti Hieronymi, cum prologis variisque capitulorum seriebus, adiectis prolegomenis, recensuit D. Henricus Quentin, Monachus Solesmensis. - Un volume in-8° di pp. XLVIII-427, stampato su carta a mano macchina.

Prezzo (porto compreso) . . . . . L. **200** —

Il volume si vende rilegato ai prezzi seguenti:

a) Dorso ed angoli in pelle nera, titolo in oro . . . . . » **220** —

b) Dorso pergamena bianca con dorature, angoli di pergamena, titolo in oro (rilegatura romana) . . . . . » **225** —

c) La medesima rilegatura romana in tutta pergamena, dorso dorato e titolo in oro . . . . . » **255** —

(*Questi prezzi sono provvisori e potranno essere modificati secondo le circostanze*).

ANNUARIO PONTIFICIO per l'anno 1927

Volume in-12°, di pp. 956, adorno di un artistico ritratto di Sua Santità Pio XI. – Legato in tela rossa, con titolo in oro e stemma sul piano.

Prezzo per ogni copia:

In Roma L. **25** — In Italia, franco di posta L. **28** — Per l'Estero L. **35** —

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Cerchiari Emmanuele. – **Capellani Papae et Apostolicae Sedis Auditores Causarum Sacri Palatii Apostolici seu Sacra Romana Rota** ab origine ad diem usque 20 Septembris 1870. Relatio historica-iuridica, Ssmo D. N. Benedicto Pp. XV dicata. 4 voll. in-8° (gr. 2600). Vol. I, pp. VIII-227; vol. II, pp. 335; vol. III, pp. XXXIV-697; vol. IV, pp. 138	100 —	104 —	120 —
Antiphonale Sacrosanctae Romanae Ecclesiae pro diurnis horis, a Pio Pp. X restitutum et editum et Ssmi D. N. Benedicti XV auctoritate recognitum et vulgatum. Romae, 1919. Un volume in-8° di complessive pagine 1010, adorno di un'artistica immagine a colori e di molte ed accurate incisioni in nero (gr. 1040)	15 —	18 —	20,50
— **Officia propria pro aliquibus locis.** Supplementum ad *Antiphonale Vaticanum*. Romae, 1920. In-8°, pp. IV-151 (gr. 170)	4 —	4,50	5 —
— **Hymni Officii Romani** ad Laudes et Horas diei secundum antiquum usum. Romae, 1920. In-8°, pp. IV-50 (gr. 70)	2 —	2,30	2,50
— **Mutationes in Antiphonali Vaticano (editio 1912)** iuxta novissimas Rubricas. In-8°, su carta fina, pp. XVI-52 (gr. 70)	0,80	1 —	1,20
— **De Communi plurium Sanctorum: Confessorum Pontificum, non Pontificum, Virginum, non Virginum,** *cum cantu,* pro Vesperis, Laudibus et Horis. Un fascicolo in-8°, pp. 19 (gr. 30)	0,50	0,70	0,90
Martyrologium Romanum, Gregorii XIII iussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum ac deinde anno MDCCXLIX Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum. Prima post typicam editio propriis recentium sanctorum officiorumque elogiis expleta, a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XV adprobata, SS. Rituum Congregationis curis impressa. – Editio in-8°-min. (22×14), in charta optima et levicata et charactere rubro-nigro, fol. CXX-567, (gr. 1060)	20 —	23 —	26,50
Consacrazione (La) Episcopale secondo il Pontificale Romano. Parti principali più adatte a coltivare la pietà dei fedeli assistenti (Testo e versione). In-16°, di pp. 71	1,50	1,80	2,10

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis„** (*Libreria Vaticana - Vaticano - Roma*).